

altitudo: & sic de reliquis, prout in dictæ Tabellæ primæ facie anteriore apparet. Itaq; si numerum pedum distantiaæ multiplices per 6, per 4, per 3, &c. habebis numerum pedum altitudinis.

Si ex latere verso C D abscindat filum partes 2, distantia K G est sextuplo major altitudine G F: si abscindat partes 3, distantia est quadruplo major altitudine: si partes 4 abscindat, distantia est triplo major, &c. prout in aversa facie ejusdem Tabellæ primæ apparet. Itaque si numerum pedum distantiaæ dividas per 6, per 4, per 3, &c. dabit pars sexta, quarta, tertia &c. numerum pedum altitudinis.

Annotationes in præcedentes duas

Propositiones.

I. In primo modo operandi per umbram ab altitudine projectam, reperitur præcisè altitudo G F: at in secundo modo operandi per solam distantiam ab altitudine sine umbra illius, reperitur altitudo L F, cui adjicienda est statura sensoris ab H usq; ad B, aut à K usq; ad B, quæ æqualis est portioni G L, adjiciendæ altitudini L F, ut habeatur tota altitudo G F.

II. In utroq; modo operandi promptius ferè ac facilius reperitur altitudo per Regulam Trium, quam ex alterutra facie Tabellæ primæ Geometricæ. Cadat enim in statione H, filum perpendiculari in latus rectum BC, & abscindat partes quinq;, sit autem distantia inter H & G pedum 20. Ex Tabella habetur, altitudinem esse duplo majorem & insuper duabus duodecimis. Itaq; distantia debet duplicari, & adjici due duodecimæ, ut habeatur altitudo. Quotus autem quisq; est, qui sciat quot pedes contineant $\frac{2}{12}$ viginti pedum? Si autem dicas: ut 5 ad 12, ita 20 ad aliud; ducasq; 12 in 20, & productum 240 dividas per 5; Quotus 48 indicabit altitudinem esse pedum 48.

III. In utroq; modo operandi potest tam diu recedi & accedi ad altitudinem, donec radiante Sole per dioptras, aut viso fastigio F per easdem, perpendiculari filum cadat in angulum C Quadrati penduli, ut fit in statione I: tunc enim semper distantia inter I & G est æqualis altitudini G F, nec ullo calculo Arithmetico est opus.

IV. In utroq; modo operandi, si filum non abscindat præcisè

C. 3

partes